

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Augustanae Confessionis Historiam, Rectore Magnificentissimo, Serenissimo ... Friderico Augusto, Principe Regio ... A Recentiorum Quorundam Corruptelis Breviter Vindicatam Dabunt

**Wernsdorf, Gottlieb
Seeger, Johann Friedrich**

Vitembergae, 1705

§XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-67830](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67830)

widerit, vel sit visurus in posterum, contra Libbardum p. 70. Meliora vero & speramus, & ex Historia discimus. Namque & suo tempore Augustus, & seculo superiore Jo. Georgius I. adversariorum, imprimis Jesuitarum, calumnias representari, idem illud primigenium exemplum, quod *αυτογραφο* appellat Strimesius, e Tabulario Imperii ab Electoribus Moguntinis & petierunt, ad *απογραφο* fide dignum hinc Formulæ C. hinc Pupillæ Sax. inferendum, & nullo negotio impetrarunt. Nec prætereundum h. l. est, quod retulit aliquando Chemnitius. *Lüneburgicos, nempe, in Ducis Francisci, qui Confessione subscripsit, Tabulario: itemque Hassos in Actis anni 1530. invenisse exempla, que cum exemplo ex archivo Imperii petito, & Formule C. inserto exacte consentiant.* Vid. Acta Colloqu. Hertzberg. lit. Z. 2. edit. Servest. Strimesium autem h. l. decebat esse memorem, qui p. 13. jam anno 1555. *αυτογραφο* Actis Comitiorum excisum esse ex Dorscherio affert, p. vero 17. Ern. Frid. Badensem anno 1599. discrimen exempli Formule C. inserti ab autographo accurata collatione ostendisse scribit. Quomodo enim exemplum Formulæ C. insertum anno 1599. vitii alicujus per collationem cum autographo potuit convinci, si *αυτογραφο* jam anno 1555. non amplius extitit? Nos igitur adhuc superesse, quicquid Gratio, quicquid Strimesio, & aliis videatur, superioribus adducti causis putamus. Confer. etiam, quæ de Jo. Schweighardo Moguntino memorat def. Pup. Sax. cap. XXVII. p. 431.

§. XIII. Recitatam jam exhibitamque Confessionem magna animorum mutatio est secuta. Nam & Cæsar, qui attentissime auscultaverat, molliorem se præbuit nostris, & Guil. Bavarus audita Confessione perhumaniter est allocutus Saxonem, & in hospitium reversus dixisse fertur: *Longe diversa, ac res ipsa probavit, de Protestantium Principum doctrina antea ad se relata fuisse, ut Coelestinus*

D

l. c.

l. c. tradit. Conf. Sigwart. Disp. I. pro A. C. tb. 216. seq. & Jo. Schmid. de A. C. interpret. tb. 36. pag. m. 70. Sed & unus ex Episcopis dixisse privatis in colloquiis fertur: *Hæc est pura veritas, non possumus negare.* Henricus vero Brunsvicensis Philippum familiariter vocavit ad Coenam, testatus, *se non posse quidem negare articulos de utraque specie, sacerdotum Conjugio, & indifferentia ciborum,* teste Lutbero T. III. Epist. n. CXL. p. 140. edit. Budd. Quæ cum ita se habeant, & Nostra illa Confessio tam sollicitè adornata, solenniter exhibita, clementer recepta, studioseque sit asservata, facere cum *Strimesio* non possum, qui pag. II. negat Augustanam majoris esse, has ob causas, quam *Tetrapolitana*, auctoritatis. Hæc enim ad dignitatem & decus Nostræ adeo non aspirat, ut ne nomen quidem Augustanæ tueri unquam potuerit. Nam, quod ex adversariis ipse *Piascius in Chron. gest. Europe* p. 31. agnoscit: *Confessio anno 1530. d. 25. Jun. Casari oblata intelligenda est, quotiescunque incidit mentio Augustana Confessionis.*

§. XIV. Scripta hoc modo & publicata Confessio non ita multo post *mutata* est a Melanchthone. Cujus de auctoritate cum hoc etiamnum tempore inter nos & Reformatos plurimum disputetur, age de hoc argumento sigillatim hoc loco videamus. Ac initio quidem inter mutationem *mere circumstantialem*, & *substantialem* distingvimus. *Illa* est, quando vocula quædam vel contrahitur, vel dilatatur: verba transponuntur: idioma mutatur, dicta quædam veterum & sententiæ insperguntur, totusque adeo contextus quodammodo a primogenio deflectit, sic tamen, ut salva nihilominus maneat res ipsa, salvusque cum primogenio exemplo, qua doctrinam, consensus. Et hæc ipsa *circumstantialis* mutatio alia est *simplex*, quæ vel per describentis oscitantiam, vel typographi negligentiam, vel corrigentis insci-

tiam